



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio VI. De peccatis fidei Theologiæ oppositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

tenent. Superaddi itaque donum istud gratuitum, virtuti Fidei Theologicae, abundantiam quandam Fidei, secundum quam homo cognoscat non solum quid credere ipse debeat, sed etiam quo pactum id ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur, unde vocatur propriè sermo Fidei. Vide quæ dixi olim de gratis gratuitis.

Fides miraculorum.

Tertia est fides miraculorum quæ pertinet propriè ad Fidem Theologicam quæ prima est radix Fidei miraculorum, vt rectè probat Suares *disp. 8. sect. 1.* contra Vasquem *prima 2. disp. 109. cap. 4.* sic colligitur ex pluribus scripturis, *si habueritis Fidem vt granum Sinapis, si habueritis Fidem & non hesitaueritis*, Ad eam verò Fidem, quæ veluti impetrat miracula & ad illorum effectum semper requiritur, duo semper actus concurrunt, Primò actus generalis quo credis Deum esse omnipotentem & fidelem in promissis. Secundò firma persuasio intellectus quod Deus de facto miraculum illud patrabit, quod iudiciū elicitur sapissimè per speciale auxilium gratiæ à Deo infusum, quo redditur homo moraliter certus de tali miraculo, unde nascitur fiducia illa in voluntate, quam propriè vocatur fides miraculi.

Fides Prophetæ.

Quarta demum appellatur fides prophetiæ, quam explicat sanctus Thomas *Prima secunda quæst. 11.* & sequentibus Suares *hic disp. 8. & prolegom de gratia cap. 5.* significat autem prophetia propriè cognitionem quandam ex Dei reuelatione inditam quæ res longè à sensu, & naturali hominum intelligentia remota, cognoscuntur diuinitus & prædicuntur, alia verò Prophetia est in solo intellectu, quæ non facit Prophetam extaticum, alia in imaginatione quæ facit extaticum, aliquando in sensibus externis. Cum ergo illa cognitio prophetiæ fundetur in Dei reuelatione potest aliquando esse actus Fidei Theologiæ, à qua tamen differet essentialiter si fundetur in reuelatione euidente, differet verò tantum accidentaliter, quæ fundabitur semper in reuelatione immediatè facta ipsi Prophetæ, & ita dicit infusionem nouarum specierum, & noui luminis.

QVÆSTIO VI.

De peccatis Fidei Theologiæ oppositis.

S. Thom. q. 10. ad 15.

TRia S. Thomas ponit genera peccatorum opposita Fidei; actui enim eius interno est opposita infidelitas: confessioni externæ fidei, opposita est blphemia: donis ei annexis opponuntur cæcitas mentis & sensus hebetudo, omnia vt explicem distinctissimè, primò inquirendum est quænam sit infidelitatis natura, malitia, propriæ species. Secundò hæresis natura, conditiones, peccata, malitia,

SECTIO I.

Infidelitatis quidditas, malitia & species.

Quidditas infidelitatis.

Certum est primò, peccatum infidelitatis rectè defini, peccatum ita oppositum internæ Fidei ex obiecto suo vt cum eo sit impossibile, voluntas credendi & actus Fidei, nullum enim est peccatum infidelitatis cui definitio hæc non conueniat, non negare articulum Fidei, vel de illo dubitare sunt peccata infidelitatis, quia excludunt voluntatem credendi & actum Fidei, error autem inculpabilis circa Fidem, & ignorantia etiam culpabilis non excludunt voluntatem & actum Fidei, propterea non sunt pec-

Tom. I.

cata infidelitatis, quamuis aliquando peccata sint contra Fidem.

Difficultas inter Theologos esse potest, vtum infidelitas aliquando ita consummari possit in voluntate, vt non necessariò sit in intellectu. Respondent affirmatiuè aliqui cum Valentia *quæst. 10. part. 1. Hurt. disp. 68. sect. 2.*

Dubium incidens.

Probantque primò, quando aliquis suspendit voluntariè assensum omnem circa res reuelatas peccat solum in voluntate, neque reperitur quidquam in intellectu & tamen illud est peccatum infidelitatis, ergo illud in sola voluntate consummari potest.

Prima ratio dubitandi.

Secundò, alia peccata consummantur in sola voluntate, ergo & istud. Imò si aliquis diceret non crederem Deum esse, si hoc non demonstraret ratio naturalis, certè ille infidelis esset & tamen nullus in eius intellectu esset error.

Secunda

Tertiò si dicas, ego cras dissentiam obiecto reuelato, nunc autem non dissentio, peccas nunc infidelitate, quamuis sola voluntate pecces.

Tertia.

Respondeo tamen peccatum infidelitatis regulariter & moraliter nunquam in sola voluntate consummari, sed residere in ipso etiam intellectu.

Resolutio dubij.

Ratio est, quia quoties voluntas imperat intellectui dissensum, vel negationem assensus circa obiectum reuelatum implicat vt intellectus non obediat voluntati, ergo naturaliter repugnat vt in sola voluntate consummatur infidelitas, id est vt tota infidelitas sit voluntas dissentendi: nisi fortè Deus intellectui negaret dissensum, quod est contra legem ordinariam, unde dixi regulariter hoc non contingere.

Ad primam autem Respondeo verum esse quòd suspendere voluntariè assensum circa veritatem sufficienter propositam, est peccatum infidelitatis, sed nego illud posse contingere sine iudicio intellectus erroneo, quod motiua proposita contra Fidem reddunt dubium articulum reuelatum. Propter hoc enim iudicium imperat voluntas intellectui suspensionem hanc assensus.

Solutio primæ difficultatis.

Ad Secundam Respondeo alia peccata externorum actuum consummari posse in voluntate quia voluntas imperare potest potentiis externis, quin actus sequatur externus, non potest imperare intellectui dissensum, quin sequatur dissensus obiecti obsecutè reuelati. Qui diceret non crederem Deum esse nisi demonstraretur, haber illum errorem in intellectu, quod nihil debeat credi nisi demonstretur.

Solutio secundæ.

Ad tertiam Respondeo eum qui diceret cras dissentiam obiecto Fidei, decerneret peccare peccato infidelitatis, sed non peccaret nunc tali peccato.

Solutio tertiæ.

Certum est secundò, infidelitatis malitiam ex genere suo, & cæteris partibus peccatum esse grauius quàm peccatum quodlibet oppositum virtutibus moralibus: Imò & illud simpliciter esse grauius quàm sit desperatio, quæ tamen secundum quid grauius peccatum est quàm infidelitas.

Gravitas peccati infidelitatis.

Ratio verò tota petitur ex generali doctrina de grauitate peccatorum alibi tradita quod quoties verum peccatum vel opponitur virtuti nobiliori, vel virtuti magis præceptæ, toties peccati malitia grauior est, quàm malitia peccati alterius, infidelitas autem opponitur Fidei virtuti nobiliori & magis præceptæ, quàm vlla virtus moralis imò Fides magis est præcepta, & nobiliori modo respicit Deum quàm spes, quæ respicit Deum vt bonum nostrum, Fides autem Deum respicit vt summè veracem in se ipso, ideo infidelitas absolutè peccatum est grauius quàm desperatio quamuis illa propter periculum non respiciendū peccatum sit grauius secundum quid.

Certum est infidelitatem bene diuidi tres in species, paganisimum Iudaismū, & hæresim, quæ non sunt essen-

Triplex infidelitatis species.

GGG 3

species essentialiter diuersæ inter se, neque ab apostasia differunt nisi accidentaliter.

Ratio est, quia quilibet infidelis vel absolute totam negat Fidem vtriusque testamenti veteris & noui, & est paganus: vel admittit testamentum vetus, nouum autem negat, & est Iudæus: vel vtrumque admittit testamentum, sed aliquem noui articulum negat, & est hæreticus. Improbant rationem hanc De Lugo & Hurtadus, sed nihil sanè opponunt probabile, inueniant enim aliquid medium inter negationem horum testamentorum, nam Mahometani ad paganos pertinent qui vtrumque negant testamentum: cum autem species illæ non differant nisi obiecto materiali; & eodem modo diuinæ opponantur authoritati, differunt solum accidentaliter.

Apostasia.

Porro Apostasia à Fide ab illis speciebus non differt nisi accidentaliter ex circumstantia personæ quæ postquam amplexa est Fidem veram, deficit postea in vnam ex speciebus infidelitatis, præsertim in paganismum, vel iudaismum; differt verò de Apostasia huiusmodi S. Thomas *quæst.* 12. ostenditque quale illa peccatum sit, quàm graue, quâ pœna dignum.

SECTIO II.

Hæreseos definitio, conditiones, malitia.

DE Paganismo & Iudaismo nihil restat dicendum præter remedia eos extirpandi & pœnas debitas, vtrum liceat cum illis communicare, ad Fidem compellere, tolerare illorum ritus, terras eorum occupare, baptizare illis inuitis eorum liberos: quæ omnia sunt alterius instituti, vnde de sola hæresi restat inquirendum, quid illa sit, quas exigit conditiones, quantum sit peccatum.

Definitio.

Certum est primò, hæresim rectè definiri, est error voluntarius eorum qui Christi Fidem susceperunt, & tamen circa eius aliqua dogmata errant pertinaciter. Dicitur *error*, quia est iudicium intellectus erroneum: *voluntarius* quia certos quosdam ex tota Fide articulos eligit quos non credit: *eorum qui Fidem Christi susceperunt*, alioqui pagani essent aut Iudæi; denique requiritur ad hæresim *pertinacia* vt dicetur, hæreticus cognitam impugnât veritatem, & cognoscit se errare.

Tres conditiones hæreseos.

Certum est secundò, tres conditiones ad hæresim veram exigi, primò enim ex parte personæ debet esse error hominis baptizati, si enim ille non est nisi saltem inualidè baptizatus non est subditus Ecclesiæ neque ab ea puniri potest, sufficit autem vt ille communiter habeatur pro baptizato quantumvis foras se inualidus fuerit baptismus, ex defectu intentionis vel ministri, vel suscipientis. Secundò ex parte modi requiritur vt sit error cum pertinacia, id est vt scias te repugnare Ecclesiæ Catholicæ vel veritati reuelatæ. Quia sicut ille verè Catholicus est, qui omnia credit quæ proponit Ecclesiæ, sic hæreticus esse nequit nisi qui pertinaciter repugnat Ecclesiæ, sciens se illi repugnare. Tertiò ex parte obiecti necesse est vt sit error circa veritatem aliquam sufficienter propositam quacumque illa sit. Neque dubium est, quin ille in foro interno esset hæreticus cui sufficienter proponeretur reuelatio aliqua priuata, quia repugnet etiam Ecclesiæ quæ docet vera esse quacumque à Deo sunt reuelata: in foro autem externo hæreticus non esset, quia non posset conuinci quod resisteret Ecclesiæ, quia vt aliquis sit hæreticus manifestus, debet palam Ecclesiæ repugnare.

Aliæ propositiones veritati cōtrariæ varia inter Doctores habent nomina, alia enim est erronea errori &

hæresi proxima, suspecta & sapiens hæresim, male sonans, & piarum aurium offensiuæ, temeraria, scâdalosa, seditiosa de quibus latissime differunt Suarez *disp.* 19. *sect.* 2. De Lugo *disp.* 10. *sect.* 3. & alij communiter qui fusiùs disputant de medijs quibus Ecclesiæ licitè vritur ad tollendas hæreses, & de pœnis hæreticorum cum spiritualibus tum corporalibus.

Certum est tertiò, hæresim esse peccatum ex genere suo ita graue vt in eo nulla detur materia levis, quia omnis hæresis Deum dicit mendacem esse, ac proinde semper peccatum est graue, sicut periurium.

Addit S. Thomas *q.* 13. blasphemiam esse peccatum confessioni Fidei oppositum, est enim peccatum quo vel detrahitur Deo aliquid, quod ei conuenit, vel aliquid tribuitur quod non conuenit, maximum inter peccata mortalia, & omnibus qui damnati sunt in inferis commune. Denique *quæstione* 15. duo exponit peccata opposita dono intellectus, & dono scientiæ annexis Fidei, alterum est cæcitas mentis, alterum sensus hebetudo, quæ oriuntur ex neglecta rerum diuinarum & spiritualium noticia, differuntque inter se quod cæcitas mentis rerum spiritualium notitiam funditus tollat: hebetudo verò sensus languidiorem eam reddat, ista oritur ex intemperantia cibi & potus, illa nasci solet ex intemperantia libidinum.



DISPUTATIO III.

De virtute Spei Theologicæ.

Sanctus Thomas à quæst. 17. ad 23.



EDEM Theologicam hæcenus traditam, statim sequitur Spei diuinæ consideratio quam habemus (inquit Apostolus Hebræorum 6.) *velut anchoram animæ tuam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.* Quam proinde meritò appellat Philo lib.

de Abraham; *Principium parandorum bonorum omnium: antisitam, edituam, & Iantricem Palatii quod inhabitant virtutes:* Et l. quod deterius, &c. *alimenium animarum, virtutem animantium, propter quam semouemus pigritiam quotquot properamus ad honesta.* De hac vt distinctè differam, triplex mihi quæstio instituitur prima de quidditate generica Spei; Secunda de propria quidditate Spei Theologicæ; Tertia de peccatis Spei Theologicæ contrariis.

Tripartita disputatio.

QVÆSTIO I.

De quidditate, Spei genericè sumpta.

TRia significat Spei nomen inter sacros omnes, & prophanos Doctores, primò expectationem euentus cuiuslibet futuri siue bonus fuerit siue malus: *Hunc ego si potui tantum sperare laborem,* vbi spes timorem significat teste Augustino cap. 8. Ench. Secundò significat expectationem futuri boni, id est motum appetitus in bonum absens, arduum, possibile, futurum. *Gloriamur in Spe gloria filiorum Dei.* Tertiò significat bonum etiam illud quod speratur, *expectantes beatam Spem,* imò & personam à qua speratur, *Spes mea ab uberibus matris meæ.* Spes non hoc loco sumitur in prima & tertia significatione sed in secunda, non prout est passio appetitus vt ostendunt morales Philosophi, sed prout virtus est voluntaris tendens in bonum quoddam absens, arduum, possibile, futurum.

Nomen Spei.